

“NISI OB FORNICATIONEM”
UNA NOTA DE TOLEDO SOBRE MT. 19, 9

por

P. M.^a ABELLÁN S. I.

Se trata de una nota inédita de Toledo que comprende dos folios y medio, sin conexión con el resto del manuscrito, distribuída en tres capítulos y compuesta de prisa, sin alardes de erudición ni de polémica, sin crítica textual, sin citar ni un solo nombre de Exégetas o Santos Padres. Su interés está en darnos a conocer la opinión del Autor sobre este discutido texto, tanto más valiosa cuanto que su comentario de S. Lucas no llega al pasaje paralelo (16, 18) y en el de la Summa, no alcanza a los problemas matrimoniales.

El primer capítulo señala los lugares paralelos, y demuestra que el pasaje del capítulo 5.^o de S. Mateo es diferente del narrado en el 19. Estudia en el segundo si las palabras del texto que analiza fueron pronunciadas una o dos veces; y en el tercero, trata de fijar su sentido. En síntesis dice que las palabras *nisi ob fornicationem* se refieren exclusivamente a la separación, como aparece en Mt. 5, 32, no a la disolución del vínculo; pero S. Mateo que ya había expuesto esta doctrina la supone ahora, oscureciendo el pasaje por exceso de concisión: “Dico igitur iam Dominum hanc tradidisse et protulisse assertionem una cum aliis; tamen Matthaeum retulisse non integram, sed diminutam, quia iam cap. 5 expresserat, et sic unico verbo insinuando quod antea dixerat, ac si dictum esset: *qui dimiserit uxorem nisi ob fornicationem* intellige eam facere moechari, et prosequitur: *quod si aliam duxerit, adhuc moechatur.*”

[F. 126r] De expositione illius Matthaei, 19 [9]: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur.*

Caput 1. De duplici historia in qua de ea re agitur.

Omissis in praesenti quae alii varie super hunc locum dixerunt, duo solum considerabimus: unum est quoties haec verba Christus in Evangelio protulisse legatur; alterum est eorum verus et legitimus sensus.

Quantum ad primum, quatuor in locis haec et sequentia verba in Evangelio reperimus; primo Matth. 5 [32], ubi sic legimus: *Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari; et qui dimissam duxerit, adulterat.* Secundo Matth. 19 [9], ut in principio retulimus et eum locum exponendum suscepimus. Tertio Marc. 10 [11.12], ubi legimus sic: *Quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit, moechatur.* Quarto, Luc. 16 [18], ubi legimus sic: *Qui dimittit uxorem suam et alteram ducit moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur.*

In hoc certum est apud omnes historiam Matth. 5 esse distinctam ab ea quae est Matth. 19; nam Matth. 5 docebat Christus suos discipulos eorum iustitiam debere abundare supra iustitiam pharisaeorum, et variis positis huius abundantiae exemplis hoc enim posuit: *qui, inquit, dimiserit, etc.*, quasi pharisaei hoc non servarent. At Matth. 19, Christus tentatus a pharisaeis interrogatus est an liceret quacumque ex causa dimittere uxorem, cuius [F. 126v] interrogationis occasione sequentia protulit verba. Unum certum est bis a Domino haec prolata; ob id a Matthaeo distinctis in locis referuntur, nec in secundo loco habetur expresse illud: *facit eam moechari*, sicut nec in primo habetur: *et aliam duxerit moechatur*. Quae autem Marc. 10 et Luc. 16 leguntur, communiter Doctores ad illam eandem historiam quae est Matth. 19 referunt; et de Marco satis aptum est, de Luca vero non ita, tamen ad idem referendum esse communiter dicitur.

Caput 2. An in secunda historia verba illa bis dicta sint a Domino.

Non desunt qui verba ista Matth. 19 et Marc. 10 et Luc. 16 ad eandem historiam relata, bis prolata esse a Domino affirmant, semel pharisaeis et iterum discipulis domi de ea re interrogantibus. Moventur autem argumento hoc, quia Matth. 19 videntur verba dicta pharisaeis; dicitur enim: *Ego autem dico vobis quicumque dimiserit*, etc.; at Marc. 10 expresse dicitur in domo ea discipulis tradidisse. Tamen non probo hanc sententiam sed arbitrator semel esse prolata, et quidem in domo et ad discipulos solos quibus evangelica doctrina tradebatur; et Matthaeus solum expressit dicta esse, tamen non ubi, quamvis insinuavit; nam cum ea retulisset, addit obiectionem discipulorum per hoc insinuans esse eis dicta; et sic illud *dico vobis* ad discipulos referendum est, qui postea obiecisse narrantur.

Historia igitur sic se habuit, ut interrogationi dolosae pharisaeorum Dominus responderit verba ex Genesi, et rursus totum illud: *Moyses ob duritiam cordis vestri*, etc., et nihil amplius, postea discipuli in domo inter[F. 127r]rogaverunt de eodem, et hic videntur praedicta verba; et sic concordant Matthaeus et Marcus, quamvis Marcus addat alia verba quae omisit Matthaeus, quod saepe Evangelistae faciunt. Addidit enim de uxore dimittente virum, et nubente alteri.

Ratio quae me movet ut hoc existimem, ea est, quia si pharisaeis haec essent verba prolata, non erat cur discipuli domi de ea re interrogarent, et si interrogarunt, non repetiisset Dominus eadem verba, sed aliud aliquid. Quis enim probare hunc contextum potest, quod Dominus pharisaeis, discipulis praesentibus dixerit: *omnis qui dimiserit uxorem et aliam ducit moechatur* etc., et domi discipuli interrogant, et iterum eadem repetit? Si enim interrogant absque dubio de aliquo dubitant, quod non audierant, maxime quia adhuc post illa verba, *si talis est causa viri*, etc., haec profecto dixisset absque alia interrogatione. Veritas igitur est quia Dominus non ea quae protulerat expresse pharisaeis sed facile allegatis locis ex Genesi, et explicato quod Moyses ob duritiam eorum permiserat, facile in his doctrina haec continebatur; et prudenter factum est ne dolis illorum daret locum, dum expressa verba doceret quae Moysi videbantur contraria, unde calumniae ansam illi arriperent; unde responderit sufficienter,

tamen occasionem calumniae removit; inde discipuli dubium conceperunt, non intelligentes quod tacite significabant, quae domi postea eis interrogantibus Dominus expressit. Unde in hac historia a tribus Evangelistis relata Dominus semel hic protulit verba expresse, et quidem discipulis domi, et sic concludimus de hac re bis Dominum locutum, uti diximus.

[F. 127v] **Caput 3. De sensu legitimo verborum expositorum.**

Cum tres Evangelistae eiusdem historiae meminerint, solus Matthaeus et prioris meminit, et in hac posteriori verbum posuit nempe illud: *nisi ob fornicationem*, quod alii duo omiserunt, tamen a Domino esse prolatum nemo dubitat. Addidit autem Marcus aliam propositionem de uxore dimittente virum, quam nec Matthaeus nec Lucas narraverunt. Ex tribus igitur locis integra Salvatoris habetur sententia talis: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur*, seu adulterium committit super eam, *et qui dimissam duxerit moechatur, et uxor quae dimiserit virum et alii nupserit, moechatur*. In qua sententia tres continentur propositiones seu assertiones: una de dimittente uxorem et alteram ducente; altera de dimissam ducente; tertia de uxore dimittente virum et alteri nubente. Hi tres adulterium committunt et moechantur; tamen per has tres non satisfit dubio proposito an liceat dimittere uxorem; nam superest unus casus, quando dimittitur, tamen dimittens non iterum contrahit. Hanc assertionem Dominus Matth. 5 [32] tradidit per quam tali dubio satisfiebat, nempe: qui dimittit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari. Quae assertio est et de eo qui dimittit, sed non contrahit cum altera. Talis reus est moechiae, non quod moechetur ipse, sed quod causa sit quod altera, scil. uxor, moechetur, dum dimissa alteri nubit. Huic assertioni limitatio posita est, ut non censeatur causa moechiae qui dimittit ob ipsam moechiam, et iure quidem: nam uxor iam moechata est ante dimissionem; et per hoc Dominus docet quod vir dimittens ob moechiam uxorem non peccet, nec facit eam moechari, quod quidem faceret si ex alia [F. 128r] dimitteret causa. Exceptio igitur ista apud Matth. 5 ponitur ad dimissionem solam, non autem quando ultra dimissionem adhuc alteram ducit; tunc enim non dicitur quod moechari eam facit, sed quod moechatur. Dico in historia secunda hanc non esse positam

assertionem expresse, cum tamen videretur apponenda; nam alias non erat completa responsio ad dubium, nec integra doctrina. Dico igitur iam Dominum hanc tradidisse et protulisse assertionem una cum aliis, tamen Matthaeum retulisse non integram, sed diminutam; quia iam cap. 5 expresserat, et sic unico verbo insinuando quod antea dixerat, ac si dictum esset: *qui uxorem nisi ob fornicationem* intellige eam facere moechari, et prosequitur: *quod si aliam duxerit adhuc maechatur* et adulterat super eam.

Sensum hunc esse arbitror quia alias ad dubium non habetur integra responsio, nisi ista assertio legatur; et quia solus Matthaeus qui prius narraverat, eam tetigit; et quia alii Evangelistae qui egerunt de dimittente et contrahente, talem exceptionem non posuerunt, sed absolute pronuntiarunt: qui alteram ducit quacumque ex causa moechatur. Unde illa exceptio Matthaei ad propositionem solius dimissionis referenda est, quam tacite Matthaeus insinuat alias iam a se descriptam et dictam discipulis, quamvis Matthaeus nunc etiam cum aliis expresserit.

Et hunc puto esse legitimum sensum, in quo non habent occasionem errandi illi, qui excipientes hanc particulam a ducente aliam affirmarunt licere unam dimittere et alteram ducere, quando ob fornicationem dimissa est; quae doctrina est contra Evangelium et contra Paulum I Cor. 7 [10.11] et contra communem sensum Ecclesiae.